

siam. Ergo per hujusmodi excussiones hoc agitur, ut dæmonum potestas expellatur.

Respondeo dicendum, quod quidam dixerunt, ea, quæ in exorcismo aguntur, nihil efficere, sed solum significare. Sed hoc patet esse falsum, per hoc, quod Ecclesia in exorcismis imperativis verbis utitur ad expellendam dæmonis potestatem, puta, cum dicit: Ergo, maledicte diabole, exi ab eo, etc. Et ideo dicendum est, quod aliquem effectum habent, differenter tamen ab ipso baptismo. Nam per baptismum datur homini gratia, ad plenam remissionem culparum. Per ea vero, quæ in exorcismo aguntur, excluditur duplex impedimentum salutaris gratiæ percipiendæ. Quorum unum est impedimentum extrinsecum, prout dæmones hominis salutem impedire conantur. Et hoc impedimentum excluditur per excussiones, quibus potestas dæmonis pellitur; ut patet ex inducta auctoritate Augustini (in argum. Sed contra), quantum scilicet ad hoc, quod non prestat impedimentum sacramento suscipiendo. Manet tamen potestas dæmonis in homine, quantum ad maculam peccati, et reatum pænæ, quousque peccatum per baptismum tollatur. Et secundum hoc Cyprianus dicit (in lib. 4, epist. 7, post med.): Scias diaboli nequitiam posse remanere usque ad aquam salutarem, in baptismo autem omnem nequitiam amittere. Aliud impedimentum est intrinsecum, prout scilicet homo ex infectione originalis peccati habet sensus præclusos ad percipienda salutis mysteria. Unde Rabanus de Institutione clericorum dicit (lib. 4, c. 27, post med.), quod per salivam typicam ei sacerdotis tactum, sapientia et virtus divina salutem catechumini operatur, ut aperiantur ei nares ad percipiendum odorem notitiæ Dei, ut aperiantur ei aures ad audiendum mandata Dei, ut aperiantur illi sensus in intimo corde ad respondendum.

Ad 1 ergo dicendum, quod per ea, quæ aguntur in exorcismo, non tollitur culpa, propter quam homo punitur post mortem, sed solum tolluntur impedimenta recipiendi remissionem culpæ per sacramentum, unde post mortem exorcismus non valet sine baptismo. Præpositivus tamen dicit, quod pueri exorcizati, si moriantur ante baptismum, minores tenebras patiuntur. Sed hoc non videtur verum, quia tenebræ illæ sunt carentia divinæ visionis, quæ non recipit magis et minus.

Ad 2, dicendum, quod de ratione sacramenti est, quod perficiat principalem effectum, qui est gratia remittens culpam vel supplens ali-

quem hominis defectum. Quod quidem non fit per ea, quæ aguntur in exorcismo, sed solum hujusmodi impedimenta tolluntur, et ideo non sunt sacramenta, sed sacramentalia quædam.

Ad 3, dicendum, quod dispositio sufficiens ad suscipiendam gratiam baptismalem, est fides et intentio, vel propria ejus, qui baptizatur, si sit adultus, vel ipsius Ecclesiæ, si sit parvulus. Ea vero, quæ aguntur in exorcismo, ordinantur ad removendum impedimenta, et ideo sine eis potest aliquis consequi effectum baptismi. Non tamen sunt hujusmodi prætermittenda, nisi in necessitatis articulo. Et tunc cessante periculo debent suppleri, ut servetur uniformitas in baptismo. Nec frustra suppletur post baptismum, quia sicut impeditur effectus baptismi, antequam percipiatur, ita potest impedi postquam fuerit perceptus.

Ad 4, dicendum, quod eorum quæ aguntur post baptismum circa baptizatum, aliquid est quod non solum significat, sed efficit, puta, inunctio fit in vertice, quæ operatur conservationem gratiæ baptismalis. Aliquid autem est quod nihil efficit, sed solum significat, sicut quod datur ei vestis candida, ad significandum novitatem vitæ.

COMMENTARIUS.

1. Circa solut. D. Thom. ad tertium. — Quæstio hujus articuli ex professo a nobis supra disputata est, tractando de sacramentalibus in genere, et in prima sectione hujus disputationis eam iterum sufficienter attigimus; quapropter nihil de illa addendum occurrit, nec D. Thomæ littera indiget aliqua explicatione; solum in solutione ad tertium advertendum est, quod D. Thom. docet, has cæremonias tempore necessitatis prætermittendas esse, quia neque ad sacramentum, neque ad effectum ejus sunt simpliciter necessariæ; nihilominus tamen, etiam si prius baptismus sit privatim datus, transacto postea periculo eas esse adhibendas solemniter in Ecclesia, ut servetur (inquit) uniformitas in baptismo. Atque hoc servat usus Ecclesiæ, unde ad Ecclesiasticum præceptum pertinet; neque tunc carent hæ cæremonia debito usu, quia licet sacramentum non sit iterandum ullo modo, nihilominus ad illius ornatum et reverentiam, et publicam solemnitatem, etiam tunc hæc omnia ordinantur, et suam retinent significationem, et efficaciam, quam habere possunt.

2. Circa solut. ad quartum. — Quomodo differant inunctio baptismi, et confirmationis.

— In solutione ad quartum explicat D. Thom. duas cæremonias, quæ baptismum consequuntur. Prima est inunctio chrismatis, quæ fit in vertice baptizati, quam dicit habere aliquam efficaciam ad conservationem gratiæ baptismalis, scilicet per modum impetrationis, ut supra explicatum est. Est autem hæc unctio, valde diversa ab illa, quæ fit in confirmatione; nam illa prior est cæremonialis, et fit in vertice, posterior vero fit in fronte, et est substantialis materia sacramenti confirmationis. Unde illa fieri potest a simplici sacerdote, hæc tantum ab Episcopo; et ideo fortasse illa introducta est, quia non semper adest Episcopus, qui possit confirmare. Est autem hæc cæremonia antiquissima, ut constat ex Concil. Arausic., cap. 4; Innocent. I, epist. 4, cap. 3; et Tertull., lib. de Baptismo, cap. 7; Justino, dicta quæst. 137; Basil., dict. cap. 27 de Spiritu Sancto; Nazianz., orat. 40 de Baptismo; Augustino, lib. 15 de Trinitate, cap. 26; lib. 4 de Symbolo, cap. 40; Hieronymo, Dialogo contra Luciferianos, ubi ratione hujus unctionis dicit non licere presbyteris sine chrismate baptizare; et Cyrillo Hierosol., Catechesi 3 Mystag.; ac denique Ambros., lib. 2 de Sacram., cap. 7, et lib. 3, cap. 4: Accipis, inquit, mysterium, hoc est, unguentum supra caput. Quare supra caput? quia sensus sapientis in capite ejus; friget enim sapientia sine gratia; sed ubi sapientia acceperit gratiam, tunc opus ejus incipit esse perfectum. Est autem observandum ex cap. Si quis de alio, de Consecr., dist. 4, hanc unctionem faciendam esse ex novo chrismate, et non ex veteri, nisi adsit mortis periculum. Quod si quis contrarium tentaverit (ait textus) propria temeritate, ipse in se suæ damnationis protulisse sententiam manifestatur. Quæ verba aperte indicant esse præceptum, ejusque transgressionem esse grave peccatum; et ita etiam notavit Navarrus in Sum., cap. 22, num. 75, et cap. 25, num. 75; colligitur ex Gloss. in cap. Quoniam, de Sententia excommunic., in 6, verbo Dubium, ubi ait: Depone sacerdotem, qui in hoc delinquit, et citat prædictum decretum, Si quis de alio. Ubi nihil de hac pena in speciali dicitur.

3. Cur induitur vestimentis albis. — Secunda cæremonia, cujus D. Thom. in eadem solutione meminit, est, quod post baptismum induebatur vestimentis albis, quam cæremoniam dicit, nihil efficere, sed significare no-

vitatem vitæ, quæ cæremonia est etiam antiquissima, ut constat ex Dion. supra; Ambr., lib. de His qui initiantur, cap. 7; August., serm. 157 de Temp.; Greg. Turon., lib. 5 Hist., cap. 11; et Rabano, lib. 4, de Institut. clericor., cap. 29, et lib. 2, cap. 39, ubi ait, solitos fuisse baptizatos uti vestimentis albis per totam octavam Paschæ, et ideo dies octava vocatur Dominica in albis, quia eo die deponebant baptizati alba vestimenta. Et hujus cæremonia vestigia adhuc manent in baptismis adultorum, qui temporibus Paschæ et Pentecostes fiunt in Romana Ecclesia; in baptismo autem parvulorum sacerdos operit caput infantis candida veste.

4. Cereus accensus cur datur baptizato. — Præter has cæremonias a D. Thom. tractatas, servat Ecclesia aliam, videlicet dandi cereum accensus homini jam baptizato, quæ etiam est antiquissima, ut constat ex Greg. Naz., orat. 40, in sanctum baptismum, ubi inquit, hæc cæremonia significari fidem vivam, quam baptizatus semper habere debet, usque ad finem vitæ; et Gregorius Turon. loco citato ad hanc cæremoniam alludens inquit: Flagrabant cerei, lampades refulgebant; et Niceph., lib. 3 Histor., cap. ult.; et Iulius Alcuinus, de Divinis officiis, cap. de Sabbato sancto. Rursus olim hominibus baptizatis lac et mel prægustanda dabantur ad infantia spiritualis significationem, ut ait Hieronym., dialogo contra Luciferian. Unde Dominica in albis canitur: Quasi modo geniti infantes lac concupiscite. Addit vero idem Hieronym. in 55 caput Isaia, usque ad sua tempora in Ecclesiis Occidentis observatum esse, ut renatis in Christo vinum lacque tribuatur; sed hæc cæremonia jam non est in usu. Sicut neque alia de osculo pacis, cujus meminit Cypr., lib. 3, epist. 8, neque alia de lotionem pedum, de qua mentionem facit Ambros., lib. 3 de Sacramentis, cap. 4. Quam tamen non fuisse receptam, ne illa lotio existimaretur esse de substantia baptismi, docet August., epist. 119, cap. 18, imo prohibita videtur in Concilio Eliber., cap. 48.

ARTICULUS IV.

Utrum sit officium sacerdotis, catechizare et exorcizare baptizandum (4, dist. 6, quæst. 2, art. 3, quæst. 1).

1. Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod non sit sacerdotis, catechizare et exorcizare baptizandum. Ad officium enim minis-

trorum pertinet habere operationem super immundos, ut Dionys. dicit, 5 cap. Eccles. Hier. (in tit. de Sacerdotum perfectionibus et in contemp.). Sed catechumeni, qui instruuntur in catechismo, et energumeni, qui purgantur in exorcismo, computantur inter immundos, ut ibid. Dionys. dicit (et cap. 3). Ergo catechizare et exorcizare non pertinet ad officium sacerdotis, sed potius ministrorum.

2. Præterea, catechumeni instruuntur de fide per sacram Scripturam, quæ in Ecclesia per ministros recitatur; sicut enim per lectores in Ecclesia legitur vetus Testamentum, ita etiam per diaconos et subdiaconos legitur novum. Et sic ad ministros pertinet catechizare. Similiter etiam exorcizare, ut videtur, ad ministros pertinet; dicit enim Isidor. in quadam epistola (refertur in dist. 15, cap. Perlectis, et dicitur esse in epist. ad Ludifred.): Ad exorcistam pertinet exorcismos memoriter retinere, manusque super energumenos et catechumenos in exorcismo imponere; non ergo pertinet ad officium sacerdotis, catechizare et exorcizare.

3. Præterea, catechizare idem est, quod docere, et hoc idem est, quod perficere, quod ad officium Episcoporum pertinet, ut dicit Dionys., 5 cap. Eccles. Hierar. Non ergo pertinet ad officium sacerdotis.

Sed contra est, quod Nicolaus P. dicit (Refertur de Consecr., dist. 4, cap. Catechismi): Catechismi baptizandorum a sacerdotibus uniuscujusque Ecclesie fieri possunt. Unde Gregor. etiam super Evang. dicit (hom. 29 in Evang., ante med.): Sacerdotes, cum per exorcismi gratiam manus credentibus imponunt, quid aliud faciunt, nisi quod dæmonia ejiciunt?

Respondeo dicendum, quod minister comparatur ad sacerdotem, sicut secundarium et instrumentale agens ad principale, ut indicat ipsum nomen ministri. Agens autem secundarium non agit sine principali agente, sed cooperatur principali agenti in operando. Quanto autem potior est operatio, tanto principale agens potioribus indiget instrumentis seu ministris. Potior autem est operatio sacerdotis, in quantum confert ipsum sacramentum, quam in præparatoriis ad sacramentum. Et ideo supremi ministri, qui dicuntur diacones, cooperantur sacerdoti in ipsa collatione sacramentorum. Dicit enim Isidorus quod ad diaconem pertinet assistere sacerdotibus, et ministrare in omnibus quæ aguntur in sacramentis Christi, in baptismo, scilicet, in chrismate, patena et

calice. Inferiores autem ministri cooperantur sacerdotibus in his, quæ sunt præparatoria ad sacramentum, sicut lectores in catechismo, et exorcistæ in exorcismo.

Ad 1 ergo dicendum, quod super immundos ministri habent operationem ministerialem et quasi instrumentalem, sed sacerdos principalem.

Ad 2, dicendum, quod lectores et exorcistæ habent officium catechizandi, et exorcizandi, non quidem principaliter, sed sicut in his sacerdoti ministrantes.

Ad 3, dicendum, quod multiplex est instructio, una conversiva ad fidem, quam Dionysius tribuit Episcopo (cap. 2 Eccles. Hierar., art. 2), et potest competere cuilibet prædicatori, vel etiam cuilibet fidei. Secunda est instructio, qua quis eruditur de fidei rudimentis, et qualiter se debeat habere in susceptione sacramentorum, et hæc pertinet secundario quidem ad ministros, principaliter autem ad sacerdotes. Tertia est instructio de conversatione christianæ vitæ, et hæc pertinet ad paternos. Quarta est instructio de profundis mysteriis fidei, et perfectione christianæ vitæ, et hæc ex officio pertinet ad Episcopos.

In hoc articulo nihil addendum occurrit his, quæ de ministris sacramentalium in genere supra tractata sunt, præter ea quæ in sequenti disputatione morali de ministro hujus sacramenti dicemus.

DISPUTATIO XXXI.

DE MORALI DOCTRINA AD SACRAMENTUM BAPTISMI PERTINENTE.

Hæc sola disputatio superest de baptismi sacramento. Hactenus enim institutionem, essentiam, causam, effectus, et accidentia, seu proprietates ejus explicuimus. Dicendum ergo superest de præceptis, quæ ad hoc sacramentum spectant, et quando vel quomodo contra illa peccetur, et quænam Ecclesiasticæ pœnæ propterea imponantur. Ad hæc enim capita tota hæc doctrina moralis revocatur. Præcepta autem hujus sacramenti possunt vel ad dantem, vel ad recipientem pertinere; nam hæc duæ personæ sunt per se necessariae ad usum hujus sacramenti, nam de susceptore, qui ex usu Ecclesie in solemnibus baptismis requiritur, satis dictum est supra, q. 67, art. 8; dicemus ergo prius de suscipiente sacramentum, deinde de ministrante, ac denique de iis

quæ utrique sunt communia, ac de mutua eorum obligatione inter sese.

SECTIO I.

Utrum jure divino teneantur homines baptizari.

1. Ratio dubitandi esse potest, quia, licet Matthæi ult. præceptum sit Apostolis: *Docete omnes gentes, baptizantes eos*, tamen aliis non est præceptum, ut baptismum reciperent; potest autem optime unus obligari ex præcepto ad dandum, quamvis alter non obligetur ad recipiendum, ut patet de elemosyna, et de restitutione. Potest enim subintelligi conditio in illis verbis, *baptizantes eos*, scilicet, si ipsi consenserint, vel baptizari voluerint. Unde addens Christus Dominus Marc. ult.: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit*, solum postea dixit: *Qui non crediderit, condemnabitur*, et non dixit: *Qui non baptizatus fuerit*, indicans, baptismum non ita esse simpliciter præceptum, sicut fidem. Unde potest hoc confirmari, quia per fidem vivam potest quis justificari ante baptismum; postea ergo non indigeat baptismo, cum non indigeat effectu ejus, et cæremonia exterior non sit per se præcepta, sed propter effectum.

2. Est præceptum suscipiendi baptismum jure divino. — Dico primo: jure divino imposuit esse hominibus præceptum suscipiendi baptismum aquæ. Est certa conclusio et communis Theologorum, D. Thom. supra, q. 68, art. 1, et in 4, d. 4, q. 3, art. 3, quæstiunc. 2, et idem tenent alii Theologi; Rich., art. 2, quæst. 3; Gabriel, quæst. 2, art. 3, dub. 1; Bonavent., dist. 6, art. 2, q. 2; Palud., q. 4; Soto et alii, et Adrianus, in materia de baptismo, quæst. 5; colligitur ex Concil. Trident., sess. 7, can. 5 de Baptismo, ubi anathematis damnat, dicentes, baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem. Ubi licet non aperte declaret, an de necessitate medii, vel præcepti loquatur, tamen etiamsi sit sermo de necessitate medii, in illa omnino continetur necessitas præcepti, respectu adultorum, ut dicemus; et cum Concilium negat baptismum esse liberum, manifestum est, libertatem ibi opponi præcepti obligationi. Deinde colligitur hæc veritas ex illo Joan. 3: *Nisi quis renatus fuerit*, etc. Primo quidem quia omnia media necessaria ad salutem, quatenus sunt in potestate et voluntate nostra, cadunt sub præceptum. Nam per observatio-

nem præceptorum vitam æternam consequimur, juxta illud Matth. 19: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Nihil ergo est, quod magis sub præceptum cadat, quam medium illud, sine quo vita æterna obtineri non potest, quantum in nostra est positum voluntate et potestate. Ex qua ratione intulerunt aliqui, hoc præceptum præter institutionem baptismi non esse positivum, sed naturale, consequens ipsam institutionem ex vi charitatis, qua homo obligatur curam gerere suæ salutis spiritualis, et uti mediis institutis ad consequendam vitam æternam. Sed hoc non recte dictum est, quia ex vi solius institutionis poterat quidem baptismus esse utilis ad abundantiorum gratiam, et ad majorem securitatem salutis comparandæ, tamen ex hoc præcise non esset necessarius simpliciter ex obligatione charitatis, quia non tenetur homo, aut certiora, aut utiliora media salutis assumere ex vi solius charitatis propriæ, nisi aliunde sint præcepta, vel necessaria. Hæc ergo obligatio charitatis supponit aliam necessitatem priorem medii, quæ in præsentem intelligi non potest ex sola natura rei, nec sine priori aliquo præcepto positivo. Unde argumentor secundo in hunc modum: nam adultus etiamsi per interiorum fidem, dilectionem, et pœnitentiam justificetur, adhuc est illi necessarius baptismus necessitate medii ad ultimam salutem, ita ut si voluntarie illum negligat, salvari non possit, ut constat ex supra dictis de necessitate medii; sed hæc necessitas oriri non potuit, nisi ex speciali præcepto positivo; ergo. Probatur minor, quia postquam homo justificatus est, non potest impediri ab ultima salute consequenda, nisi ratione alicujus peccati, quia, si gratia non amittatur, infallibiliter perducimur ad vitam æternam; amitti autem non potest, nisi per peccatum; omissio ergo voluntaria baptismi non potest, vel gratiam prius obtentam tollere, vel consecutionem vitæ æternæ impedire, nisi ipsa peccatum sit; non potest autem ipsa esse peccatum, nisi sit contra præceptum, ut per se constat; ergo de primo ad ultimum, ut baptismus sit adultis medium necessarium ad salutem, oportet ut illis sit præceptus. Dices, illam necessitatem non oriri ex præcepto, sed ex voto baptismi, quod homo per contritionem habuit, ut justificari posset. Sed hoc frivolum est, quia hoc votum non est intelligendum (ut nomen sonat) per modum promissionis, qua homo se voluntarie obliget ad baptismum suscipiendum, tum quia ficta